



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 105. Publici sermones ab hæreticis confluyente populo habiti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. rent (\*) hinc hæretici coactis conven-  
A. C. 1566. tibus publice ad suorum Ministrorum  
 sermones accedebant, ut hac audacia  
 suæ factionis sociis animum adderent,  
 suis vero hostibus rebellium indies ex-  
 crescentium numero terrorem incu-  
 terent.

## § CV.

*Publici sermones ab hæreticis con-  
 fluente populo habiti.*

Tha. l. 40.  
Strada l. c.

Yprensus civitas præ ceteris prima e-  
 rat, in qua conciones publice haberi,  
 audacter Pontifex calumniis obrui,  
 contra Concilium Tridentinum, Inqui-  
 sitores, totamque Christi Religionem  
 declamari incipiebatur, hæc vero pe-  
 tulantia postmodum propagabatur per  
 Brabantiam, Geldriam, Frisiam, ac  
 per omnes urbes, & campos, ubi un-  
 dique ad sacrilegas hæc conciones  
 populus primo quidem inermis, postea  
 autem ad corporis tutelam gladiis,  
 ac postremo sclopetis munitus conflue-  
 bat: porro ineunte Mense Junio in  
 campo

---

(\*) Hæc apud nullum ex allegatis Scri-  
 ptoribus leguntur, sed mere conficta sunt, ut  
 sub verosimili prætextu hæreticorum seditio  
 in Papæ severitatem, & Inquisitionis rigo-  
 rem conjici posset.

campo Lario, prope Antverpnam ad Borgerhutum Germanico, & Gallico idiomate habitæ sunt conciones, unde tumultum veritus Antverpiensis Senatus ad Parmensem scribit, ac eam etiam ad motus sedandos, ut ipsamet in urbem venire velit, hortatur. Hæc cum super ea re tempus ad deliberandum poposceret, interea edictum admodum severum promulgari iussit in illos omnes, qui ejusmodi conventicula haberent. Ast hac agendi ratione nonnisi hæreticorum insolentia augebatur,

§. CVI.

*Alius libellus Gubernatrici a Protestantibus porrectus.*

Protestantium ultra quinque millia crescente cum numero audacia, Senatui libellum porrigunt die tertia Julii, quo multis rationibus nituntur probare, quod conciones, quæ antea in occulto habebantur, nunc ob auditorum numerum palam haberi deberent, ac proinde motus, & confusionis vitandæ causa locum sibi in urbe assignari peterent: porro quod id Magistratus concedere posset, adducta privilegiorum auctoritate confirmabant, ac insuper exemplis demonstrare nitebantur, quod duæ Religiones citra periculum admitti valeant: ve-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

Thu. Es  
Strad. l.c.